

medium rationem, quæ duo sunt exempla irrationalium in Geometria. Iam autem motus cum radijs in proportione sunt; Ergo motus inter se irrationales, & sic nunquam ad idem redibunt initium, etsi durarent infinitis seculis: quia nunquam, ne in infinita quidem sectione temporis, occurreret communis mensura, qua sacerdos repetita, motuum omnium unus terminus, & meta anni Platonici constituatur. Et iam vel tandem cum diuino Copernico libet exclamare: *Tanta nimirum diuina hæc est Opt. Max. fabrica: & cum Plinio: Sacer est (mundus) immensus, totus in toto, imò verò ipse totum, finitus & infinito similis.*

*Tu nunc, amice Lector, finem omnium horum ne obliuiscare, qui est, Cognitio, admiratio & veneratio Sapientissimi Opificis. Nihil enim est ab oculis ad mentem, à visu ad contemplationem, à cursu aspectabili ad profundissimum Creatoris consilium processisse: si hic quiescere velis; & non uno impetu, totaque animi deuotione sursum in Creatoris notitiam, amorem cultumque effera. Quare castamente, & grato animo mecum perfectissimi operis Architecto sequentem Hymnum accine.*

**I** OVA Sator Mundi, nostrumque aeterna potestas,  
*Quanta tua est omnem terrarum fama per orbem?*  
*Gloria quantatua est? Cæli quæ dedita supra*  
*Mænia, concussis volat admirabilis alis.*  
*Agnoscit puer & spredo satur ubere, balbis.*  
*Te dictante struit valida argumenta labellis:*  
*Argumenta, quibus tumidus confunditur hostis*  
*Contemptorique tui, & contemptor iuris & equi:*  
*Ast ego, quo credam spacioso Numen in orbe:*  
*Suspiciam attonitus vasti molimina cæli,*  
*Magni opus Artificis, validæ miracula dextræ;*  
*Quinque uti siderios normis distinxeris orbes,*  
*Quos intra medius Lucisque, animaque Minister*  
*Qualege aeterni cursus moderetur habendas,*

*Quæ*